Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2615
Quelle:
Copyright:

potestate ecclesiastica scribitur quod data sit ad edificacionem, ita petro dictum est pasce oues meas, pascere autem est ouium vtilitas.

XI. *fol.* 109. Expositio mystica Vestimentorum Sacerdotalium. Initium ab Hostia: *Hostia habet in se septem, videlicet:*

Candida triticea tenuis non magna rotunda
Expers fermenti, non salsa sit hostia christi.

XII. *fol.* 110. Sylloge multarum Rerum, quae numero *quaterno* includuntur. Ita: *Quatuor sunt virtutes cardinales. — Quatuor sunt que prudencia nos edocet. — In quatuor nos fortitudo instruit* — &c. Inter *Thomae Aquin. Opuscula* Edit. *Rom.* 1570. T. XVII. *fol.* 135. comparet N°. LXXI. sed spurium est, et in *Cod.* nostro *Capit.* 1. mulctatum.

XIII. *fol.* 135. p. 2. Tractatulus *de Potentiis Animae* praecedente earundem Schemate five *Arbore. Quindecim* enumerat Noster, easque in *Superiores*, *Medias* et *Inferiores* partitur. *Arborem* excipit *Declaratio*, Definitiones videlicet earundem, quas et *Germanice* reddere nititur, et Officia.

XIV. *fol.* 138. p. 2. *De arguentibus et impugnantibus Religiosos.* Initium: *Quidam de ordine clericorum religiosas personas arguunt lacerant atque paruipendunt. In primis ipsis impingendo quod sint transgressores regularum quas sollemniter sunt professe. 2°. ipsos iudicando quod incorporantur concilijs generalibus et stant in eisdem. 3°. quod estimantur aput tales viles infructuosi et abiecti.* Ad haec igitur respondet Noster, objectioni praecipue tertiae longa occurrens Religiosorum enumeratione, qui in vario Disciplinarum genere elaborarunt. Hic *Augustinum* jam *monachum* posuerat, sed reposuit *canonicum regularem. Alexandrum* praeterea *de Villa Dei*, quem alii ordini Minorum dant, Canonicis mox dictis adscribit, aitque in illius *Doctrinale* pulchre commentatum *Heinricum* monachum *Carthusiensem*, quem in *Theod. Petreji Bibl.* non invenio. Notandum denique, quod ait: *In retborica* (Poetica?) *nonne Alanus* (ab Insulis) *pulcherrime laborat. Docent hoc libri Anthiclaudianus de planctu nature et de vetula cum reliquis opusculis.* Librorum III. *de Vetula Ovidio* ridicule adscriptorum et non semel editorum Autorem suspicatur *Fabricius Bibl. lat. L.* I. c. 15. *Pamphilum* quendam *Maurilianum*, in *Leonem* quendam *Protonotarium Bizant.* qui eis praefatus est, inclinat *Polyc. Leyserus Hist. Poet. med. aevi* p. 2089. hunc tamen *Leonem* fictum nomen esse *Goldastus* existimat in *Catalect. Ovid. Alani*, quod sciam, nemo meminit. En igitur, quod discas ex Apologia nostra, cujus generis multa nimium facile Hodierni quidam